

1553

## P O L E M I C I.

1554

XII. fol. 230. p. 2. Excerpta quaedam ex *Boethio*, *Cassiodoro*, *Gregorio M.* Autore *Doctrinae Rudium*, *galfredi Vine sauf Angl. Poetria*, *Ovidio*, *Henrico Samariensi* seu *Paupere*, et *Jacobo Beneventano* O. P. quem tamen versus scripsisse non memorat *Quetifus Scriptt. O. P. T. I. p. 648.*

XIII. fol. 231. fine titulo, sed ex Indice praevio: *Tractatus magistri Augustini de Ancona ord. heremit. sancti Augustini contra diuinatores et ariolos.* Ita exorditur: *Quoniam sicut tempore retroaeto ita et nunc quidam insurgunt, qui non voluntatem rationi subiciunt nec doctrine studium impendunt &c.* Directus est ad quemdam *Reuerendum Patrem*, et in XXI. *Capita* tributus, quorum elenchus Praefationem excipit. Finis est: *Sed solum est ab illo omnis veritas postulanda qui est via veritas et vita, quam ipse nobis tribuat qui &c.* Sequitur subscriptio: *Explicit tractatus contra diuinatores et somniatores editus a fratre Augustino de Ancona Sacre Theologie doctore ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini, Scriptus per manus fratris Johannis de Recz (Austriae Oppido) Sacre Theologie professoris exigui ordinis antedicti et usque ad finem deductus in Vienna. Anno domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> III<sup>o</sup>. In die sancte Agathe virginis et martiris omnes legentes in ipso orate pro eo. Requiescat in pace Amen. Inter Augustini Triumphi de Ancona Opera tractatus hic nec a*

*Gesnero*, nec a *Fabricio*, nec ab ipso *Offingero* in *Bibl. sui Ordinis* citatur. *Librarius noster*, et ipse vir in hoc ordine celebrer, non potuit diem obire 1402. ut adferit *Offingerus* cit. p. 740. cum initio *Februarii* 1403. primum scriptionem absoluerit.

Codex noster olim ad *Augustinianos Ratisbonenses* pertinuit; unde non mirum tot in eo hujus Ordinis *Scriptores* contineri.

## CCCCXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 555 XV. Folior. 340. 4. currente calamo scriptus hanc in praefixa membrana Notam exhibet: *Iste liber datus est pro libraria domus ex parte R. M. Petri (Tzach) de Pulka sacre Theologiae professoris eximij cujus anima feliciter requiescat in sancta pace amen.* Hujus Viri Acta pro Religione et Academia *Vienn.* maxime in Concilio *Constant.* adumbrantur in *Scriptt. Univ. Vien. Sec. I. p. 95.* *Scriptorum vero Pars* in hoc Codice continetur, quem percurremus. Initium facit *Confutatio* quaedam *Jacobi de Misa*, quae incipit: *Pietatis inexpugnabilis impiissimus oppugnator quidam pseudopredicator Magister Jacobellus nomine quoddam scriptum erroribus refertum de usu sacramenti eukaristie — Prage edidisse dicitur quod incipit: Pius ihesus diligens suos fideles &c. In quo sub pietatis specie militat possetenus contra piiissimum dei cultum &c.* Duplex igitur accessio ad *Controverfiam*

1555

C O D I C E S

1556

troverfiam *Utraquisticam* Concilii tempore agitatam, et ab *Herm. v. d. Hardt* vulgatam T. III. *Afor.* Legitur enim ad calcem Tractatus nostri: *Anno d. 1415. Constan. dum ista materia in generali concilio tractaretur.*

II. fol. 10. Quæstio, ut e calce liquet, *Vesperiarum a. 1410.* Erant vero *Vesperiae* ultima Disputatio Academica pro consequendo Doctoris gradu, more ab Academia *Parisi*na ad *Vienne*nsem translato, ut patet *Tit. XVI. Statut. Facult. Theol.* vulgatorum a *Lambecio* L. II. c. 5. p. 125. repræsentatorum a *Kollar*io *Analect. Vindob. T. I. col. 127.* ubi habes: *Posthæc Vesperiae Licentiati secundum modum Parisiis consuetum, quem hic recipimus, sic fiant &c.* Praesens porro Quæstio sic orditur: *Vtrum in Sacramento altaris sit aliquid substantie panis. Decidendo propositam mihi questionem ipsam diuidendo in tres articulos. &c.* Primo referuntur Errores veteres et recentiores, altero stabilitur Dogma Catholicum, tertio Errores confutantur. Quartus Nostro et nouissimus error est quorundam modernorum, quem cum suis apparentiis et motiuis sub protestatione recitat, sine tamen eius assercione *Magister Stanislaus* (de *Znoyma*) in tractatu quem prae de presenti conscripsit materia — panem et vinum post consecrationem non solum sacramentum sed etiam verum Corpus et sanguinem Do. no. ie. christi esse, dissimulata videlicet Transsubstantiatione.

Tractatum, ad quem hic alluditur, dabimus *Cod. DXC. Petrum de Pulka* ipsum *Vesperiarum* fuisse, e *Locheri Spec. Acad. arguo*; cum enim in primo Recto-ratu suo Academico a. 1407. nonnisi *Baccalaureus formatus in Theologia* dicatur, in altero a. 1411. jam *sacrae Paginae Doctor* audit.

III. fol. 24. Actus Doctoris recens creati. Initium: *Iuxta laudabilem ordinationem et statuta venerabilis matris nostrae facultatis Theologicae in actu presenti sunt quatuor per ordinem prosequenda. Primum quidem habeo breuissimam lectionem premittere. 2º. questionem aule mee resumendo disputare. 3º. baccalaureis nostrae facultatis arguendi loca distribuere et 4º eandem questionem determinare. Adi Statuta supracit. Tit. XVII. ubi leges: Debinc post principium Studii sequentis anni, vel quandoque prius disputat (novellus Doctor) de resumpta, et tunc ad eandem questionem, quam in aula disputavit, sibi respondet unus Cursor vel Baccalarius, contra quem post eum arguunt omnes Baccalarii formati. — Post hoc iterum ipsemet Magister eandem questionem — determinat. Vides omnia e praescripto acta, cumque tota Tractatio rursus sit de Sacramento Altaris, non incongrue et ipsa ad *Petrum de Pulka* referetur.*

IV. fol. 38. Actus *Vesperiarum*. Initium: *In nomine sanctissime trinitatis &c.* Loquitur Magister praesidens: *Presens vesperiarum*

1557

## P O L E M I C I.

1558

riarum actus ritu solito 4. partibus presentibus integrabitur seu constabit. Hae sunt: Quaestio praeambula, Quaestio *Licentiando* proponenda et ab eo determinanda, Collatio in *Licentiandi* seu *Vesperandi* laudem, et Gratiarum Actio. Ex his sola in *Codice* comparet Pars tertia, pro cuius Themate Praefes adsumsit illud *Job. 3. Tu es magister in Israel*, et cum multa de significato vocis, officioque Magistri differuisset, ad jocos pro more delapsus Candi-

*Vinum philatim* (phialatim? filatim?) *cereuisia sed ocreatim*, vinumque *ocreatim* hausisse, et quae sequuntur. Hinc novum Doctorem *Bobemum* fuisse conicias.

V. fol. 46. Alius *Vesperiarum* Actus, qui incipit: *Sapientissimorum nostrorum maiorum omni veneracione dignissimorum vestigijs inherentes* &c. tum Formula paene, ut in praecedente, et sola Pars tertia, cui Magister praefidens thema praefixit e *currentis*, ut ait, *Dominicae Sexagesimae* Evangelio: *Exijt qui seminat, seminare semen suum. Luc. 8.* Plurima et hic luduntur in Candidati patriam civitatem *Sueviae Harau*, (*Horb seu Horw ad Nicrum*) in ejus nomen *Georgius*, et cognomen *Peczl*, in doctas ab eo Scholas *Egenburgae* et *Pusoniae* (*Pofonii?*) &c. In *Catalogo Ge. Ederi* et in *Speculo Acad. Locheri* jam 1419. toti Academiae Rector praefuisse legitur *Georgius Wetzel de Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

datum false exagitat, quod, dum *Romae* in caussa fratris ageret, meroque italico incaluisset, atque litus maris obequitaret, aestimaverit ob summam aeris serenitatem mare coelo continuum, spemque istud ingrediendi foverit, nisi ab obvio viatore dedoctus fuisset. Item, cum fere ante biennium solum adisset patriam, et in *Montibus Cbuttnis* quidam illi cerevisiam et vinum liberaliter obtulisset, invertisse illum populare proverbium, quod ait:

*Horaw* sive *Horw*, Theol. Doctor annoque sequenti Canonico-rum ad Divi *Stephani* Collegio insertus; Actum itaque nostrum saltem a. 1418. adfigere oportet.

VI. fol. 62. Quaestio in ejusmodi Actu disceptationi proposita: *Vtrum dei filius factus homo temporaliter quemlibet predestinatum secundum omnes suas potencias beatificabit eternaliter.*

VII. fol. 78. Sermones IX. sacri, videlicet de *Festo Pentecostes* habitus Anno domini 1420. 25. die *Maji s. Urbani*. Geminus de *Assumptione B. V. M.* De *Nativitate* Ejusdem habitus Anno 1409. in *Monasterio Scottorum Wyenn.* Geminus de *Ejusdem Conceptione*, in quorum priore Orator dicit: *Mariam ab originalis labis contagione pene immunem uel mox mundandam. De Annunciatione* Geminus, et de *S. Cholomanno*

Z

no

1559

CODICES

1560

no martire habitus Anno Domini 1400.

VIII. fol. 170. p. 2. Collatio quinta in statione Vniuersitatis pro vnione et pace et bono statu ecclesie facta ultimo die aprilis Anno 1402. In illud: Propter domum domini dei nostri quesui bona tibi. Psal. 121. Initium: Nos humiles et pusilli, scientia pauperes &c. Vivis coloribus depingit mala Ecclesiae et morum corruptionem sed imperfecta est.

IX. fol. 172. Sermo de Natiuitate Domini in illud Is. 9. Paruuulus natus est nobis. Initium: Diuine pietatis erga nos inestimabilia beneficia hodie nobis exhibita &c.

X. fol. 197. Oratio Legatorum Academiae Vienn. in aduentu suo ad Iohannem Pont. et Concilium Constant. Invitata erat Academia literis Iohannis datis 1414. 24. Jul. quarum Summa recitatur in Conspectu Hist. Univ. ad h. a. p. 100. ibidemque electi dicuntur Oratores Petrus de Pulka et Casp. Meißelstein Decret. Doctor 29. Sept. Adlocutionem, quae nobis obversatur, non dubito Petro tribuere. Infit illa: Ecce ego, vocasti enim me. I. Reg. 3. Sicut in vniuersali mundi machina nature lex et ordo exposcit, ut inferiora queque in suis naturalibus operationibus superiorum suorum nutibus irrefragabiliter obtemperent &c. Que sane ponderans Sanctitatis V. filia deuotissima atque humillima Vniuersitas Studij Wyenn. ab eadem

Sanctitate V. ad huius sacri concilij locum certis litteris legitime euocata paruipensis sumptibus, nullipensis difficultatibus, spretisque incommodis et laboribus ea qua valuit decentia Sanctitatis V. mandatis obedientissimam se in personis nostris humillimis studuit exhibere. Multa deinceps de afflicto Ecclesiae statu et remediis adhibendis.

XI. fol. 200. Sermo habitus in Concilio Constant. in illud Luc. 17. Ite ostendite vos Sacerdotibus. In Cod. DCCCCLXIX. aperte Petri de Pulka nomen praefert, cum igitur in praesenti ἀρωγοῦσατος multoque limae usu pernotatus fit, consequens est plurima in eo ab eadem manu profecta ἀνωρύμα ad Petrum referri debere.

XII. fol. 205. Copia Capitulorum pronunciatorum in concilio generali XXVII die Mensis Julij presidente Domino Alexandro papa Quinto. Itaque Pisis. a. 1508. Edidit ea Herm. Hardtius T. II. P. 2. p. 152. hoc initio: Sacro approbante Concilio omnes et singulas promociones translationes &c.

XIII. fol. 212. Sermo habitus, ut e calce adsumo, Anno d. 1416. per venerabilem P. generalem ordinis predicatorum in Conuentu eorundem pro exequiis Episcopi fulginatis in 40ma tempore Concilij generalis. Orator hic est F. Leonardus Statii de Datis, cuius Acta et Scripta referunt Bibliothecarii Ord. T. I. p. 755. nullam tamen Parentationis

1561

P O L E M I C I

1562

tionis nostrae nati notitiam. Defunctus vero Episcopus, ex eodem Ordine a. 1403. ut habet *Ugbellus T. I. col. 702.* lectus, *F. Federicus Frezzius*, qui Poemate italico dicto *il Quadriregio Dantis Aligerii Comoediam* aemulatus est. Poematis hujus unicum Editionem protulere dicti Bibliothecarii de *Frezzio* agentes *T. I. p. 758.* Sex antiquiores enumerat *Niceronus T. VII. p. 145.* et ex eo *Fabricius Bibl. med. Lat. L. VI. p. 204.* quibus *Mediolanensem 1488.* per *Ant. Zarotum f.* addo. Verum haec non hujus fori. Obiisse Nostrum nec a. 1515. nec a. 1517. etiam e praesenti *Oratione* certum est contra *Leand. Albertum, Ant. Senensem, Ant. Possevinum* et *Lud. Jacobillum.* Incipit illa: *Ingressus est ad dominum. Scribuntur haec verba in lectione missae praesentis diei — Locuturus in praesentiarum R<sup>mi</sup> P. et D. super lugubri casu defuncti presulis f. cuius memoria in benedictione est &c.* De Defuncto: *Equidem ratione religionis fuit in suo ordine altis prelature tytulis insignitus, et tandem prouincialis suae Romane prouinciae, Ratione probitatis fuit in diuersis studijs promotus et honoratus et nobilis Magister sacre pagine, Ratione morum grauitatis fuit vir consilio plenus unde apud omne genus hominum permixtissime apud suos ciues celeberrime fame, Ratione optimarum artium studij fuit communi utilitati summe proficiuus propter quod acclamante populo fulginate constitutus est*

*glorioso Episcopus illius Ecclesiae — 12. pauperes in sua domo omni die pascebat — religiosos quosque et maxime transeuntes in sua domo — confouebat non minus et eos in propriis conuentibus sustentando, temporibus karistie que in partibus illis sepiissime contingit, frumentum quo ecclesia sua erat satis habundans, tanta caritate distribuebat egenis, ut linguis omnium pater pauperum vocaretur &c.* Unde mirum, nullam mortis Ejus in *Fastis Concilii T. IV. Actor. Hardtii* haberi memoriam.

*XIV. fol. 215. Sermo ejusdem generalis (Leon. de Datis) coram Concilio Constan. eodem anno in dominica 40me.* Sermonis hujus et mox dicti *Fasti* et *Bibliothecarii Ord. l. cit.* meminere. Hi tamen errore fortasse typi ad an. 1415. referunt. Initium est: *Reuerendissimi Patres &c. Etsi iuxta sacri canonis veritatem omnia suis debent conuenire temporibus &c.* E verbis Apostoli: *Ecce nunc dies salutis.* 2. Cor. 6. hortatur sacri Jejunii tempore ad mores, Ecclesiamque reformandam rite uti, et sub finem laudibus onerat *Sigismundum Rom. Regem, qui sigillans mundum merito interpretatur, sine superbia nobilem, sine inuidia potentem, sine superstitione religiosum, sine iactantia operantem, sine studio facetum, sine inertia grauem, sine asperitate constantem, sine partialitate communem, eumque cum plurimis antiquis Heroibus, ut in utroque Sermo-*

1563

## C O D I C E S

1564

ne Autores sacros profanosque miscet, confert. Neuter porro *Sermo* lucem, quod sciam, vidit.

XV. fol. 226. *Sermo de S. Trinitate super verbis Apostoli: Communicatio sancti spiritus sit semper cum omnibus nobis. domini Petri de Aylliaco.* Initium: *Magnus christianorum Theologus celestis ille secretarius et diuinus apostolus Paulus &c.* Extat inter *Opera Argent. 1490. f.* Nobis ad calcem legitur: *Per d. Petrum de Aylliaco Episcopum Cameracen. factus Janue coram Petro de luna dicto Benedicto 13. Anno d. 1405. Occasione cuius idem sub bulla instituit festum S. Trinitatis dominica post Pentecosten, et plura de Indulgentiis ab eo datis, sed adjicitur: Quia tamen fuit antipapa extra eius obedienciam hec constitutio non curatur.* In *Edit.* mox memorata *Constitutio* haec ipsi *Sermoni* subjicitur. Adludit ad eam *Joh. Gerson* in *Tract. de Visit. Praelat. 1408. conscripto T. II. Opp. omn. col. 560.* ubi ait inquirendum *Visitoribus: de Festo Trinitatis solennizando prout Papa noviter instituit.* Eo igitur anno *Petro de Luna* nondum nuncium remiserat. Quod vero ait: *noviter instituit*, cum limitatione intelligendum; jam enim *Gregorio IV.* et *Johanni XXII.* ejusmodi quid tribuitur, et certe *Alcuinum* jam *Orationes Missales de Trinitate*, et *Stephanum* quendam *Leodiens.* *Officium* composuisse testis est *Micrologus* c. 60. et *Missas de Trinitate* in *Germania*

frequentatas *Canon Concilii Saligunstad.* ad an. 1022. Aperitissime vero *Rupertus Tuit. de div. Officiis* L. XI. c. 1. *Trinitatis Festum* Dominica post *Pentecosten* celebrari jam *Sec. XII.* adfirmat.

XVI. fol. 238. *Sermones II. de Assumptione B. V.* Prior in illud: *Maria optimam partem elegit. Luc. 10.* hoc initio: *Beatus bernardus in quodam sermone &c.* Alter in illud: *Ascendit super cherubim. Psal. 17.* hoc initio: *Sanctissime virginis et matris dei ac domini omnium salvatoris &c.* *Sermo* uterque dirigitur ad *Reverendos P. Magistros ac dominos*, et posterior ita subscribitur: *Factus est hic sermo per Magistrum mychaelem suebenschatz doctorem Theologie in vigilia assumptionis beate virginis in ecclesia carmelitarum. anno domini 1406 wyenne.* *Facultati Theologicae* hoc anno *Decanus* praefuit *Noster*, universae vero *Academiae* *Rector* et ad *D. Stephani* *Canonicus* a. 1409. Haec e *Speculo Acad. Locheri.* Inter *Scriptores Univ. Vienn. Sec. I.* p. 64. ejus *Opera m/s.* enumerantur.

XVII. fol. 262. *Orationes* five *Prolusiones* in laudem *S. Scripturae* e *Statutis* *Facultatis Theologicae* *supracit.* praemittendae solennioribus *Actibus Academicis*, numero III. *Initium* primae: *Docebo te quid loquaris. Exod. c. 4.* *Beatus augustinus cupiens sacram scripturam nobis amabilem reddere &c.* Adhaeret huic *questio disputata in Aula Reuerendi Ma-*

1565

P O L E M I C I.

1566

*Magistri narcissi Pbister ordinis fratrum predicatorum Regentis in colonia. Anno domini 1408. Ante Aduentum Domini. Est vero: Vtrum Doctor catholicus — doctrinam debeat pretermittere per quam subditus sibi grex est scandalizatus ex infirmitate. Deciditur pro dilatione ejusmodi doctrinae. De Narcisso nihil in Bibliotheca Ord. Initium secundae: Sedens docebat de nauicula turbas. Luc. 5. Omnem mortalium progeniem ob prothoplasti delictum &c. Praevie dicit Orator: resumo Thema de Nauicula, quod in alma Vniuersitate Bonum mihi familiariter desponsatum pridem deduxi per collaciones varias. Et re ipsa Cod. CCCCXVI. Collacio in idem Thema relata fuit, cumque praefens manum Petri de Pulka arguat, etiam illa ad hunc pertinere videtur. Initium tertiae: Venite ascendamus ad montem domini &c. Ysa. 2. Mich. 4. Gregorius 23. Moral. exponens illud Job c. 33. scriptum, semel locutus est deus &c.*

XVIII. fol. 297. Sermo habitus fortasse in Synodo Constant. de Laudibus S. Bernardi in illud: Omnis qui se exaltat humiliabitur &c. Luc. 18. Initium: Symon de cassia L. 6. post medium de vita christiana exponens predictum passum &c. Multa de Bernardi laboribus pro unione Ecclesiae, et sub finem: En igitur gloriosus doctor hoc perniciosum scisma laboribus sedauit. Rogemus dominum ut suis meritis hoc praesens tollat et unitatem restituat

*ecclesie sacrosanctae suis precibus &c.*

XIX. fol. 304. *Vtrum in Monarchia mundi principalior sit potestas Petri quam erat Constantini. Affecta tantum disquisitio, multumque interpolata.*

XX. fol. 312. *Sermones facri III. Primus in illud: Hi sunt viri misericordie. Eccl. 44. de Petro et Paulo Apostolis, referendus Cod. DCCCCLXIX. cum Autore Petro de Pulka, cujus hic αυτοργαφον. Alter de Passione Domini in illud: Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. 26. hoc initio: Si psallente propheta audiam, quod peccatori dixit deus, quare tu &c. Si rursus considerem &c. Tertius de S. Colomanno Mart. idem, qui jam N. 7. indicatus fuit. Ejus initium: Faciem suam firmavit ut iret ierusalem. Luc. 9. Tocius sanctitatis regula et exemplar B. Augustinus &c.*

CCCCXVII.

Codex chartaceus lat. germ. <sup>646</sup> Sec. XV. Folior. 196. 4. non ab una manu profectus hanc praefert επιργαφον: Joannes Schröter sibi grateque posteritati. Medici hujus patria Vinmariensis, eque Viennensi cathedra ad primum Jenensis Academiae Rectoratum evocati Vitam Oratione illustravit Zach. Brendelius, cui addi possunt, quae de eo in Scriptt. Universt. Vien. P. III. Sec. 3. p. 11. et in vernacula mea Typogr. Vien. Historia habentur.

Codici

Z 3